

Fidem habere eum oportet, qui discere aliquid velit  
 & §. 3. De iis v. quæ ad Docendum & Demonstran-  
 dum valent, dictum est à nobis in Analyticis.

§ 6 Vidit a. Arist. illud, quod in universa rerum natu-  
 ra obtinet; Non à quovis putà recipi quodvis, sed certo  
 modo præparatum & dispositum esse debere id, cui aliquid  
 imprimi debeat: hic etiam obvenire, ac propterea aliam  
 Disciplinam conscribere voluit, quæ monstraret, quomodo  
 Discens animus ita sit præparandus, ut aptus reddatur ad  
 recipiendam Scientiam, qualis præparatio sit, si prius opi-  
 nio introducatur de re Scientificè cognoscenda; id ipsum v.  
 fecit in 8. lib. Topicis. Hujus itaq; Operis Finis non fuit Sci-  
 entia, sed Opinio, in quo explicare debuit Philosophus ex  
 quibus propositionibus constare necessum sit Syllogismum,  
 qui generare possit Opinionem, ex probabilibus sc. & quæ illi  
 harum ratione competant vid. l. 1. Top. c. 4. §. 1. & 2. l. 1.  
 Soph. El. c. 17. Ubi non opus fuit accurata explicatio-  
 ne Syllogismi in genere, qualis proponitur in Priori-  
 bus Anal. Dialecticus n. tali cognitione non indiget,  
 sed communi Syllogismi Definitione & aliqua Divi-  
 sione contentus esse potest, ita quidem ut si quis illa  
 quæ in Analyt. dicta sunt, huc transferre velit limites  
 Dialecticæ transgressus fuisse videatur, quæ ex pro-  
 babilibus saltem argumentatur, uti docet Interpres A-  
 rist. Alexander sub finem c. 7. l. 1. Top. & constat illud ex  
 l. 1. Top. c. 1. §. ult.

§ 7 His libris suo jure annectuntur libri de Sophisticis  
 Elenchis, non omnibus, sed tantum de iis, qui sunt circa  
 eandem Materiam, circa quam versatur Dialecticus vid.  
 lib. 1. Soph. El. c. 1. & l. 2. c. ult. imprimis v. c. 9. lib. 1. de  
 Soph. El. §. 3. & 4. Et hoc opus alterum nobis constituet  
 Organon, cuius finis est & scopus Opinionem generare apud  
 animum audientis, Circa quamcung; Propositionem propo-  
 sitam: quamvis plures dentur ejus Utilitates juxta c. 2.  
 lib. 1. Top. Quod v. in his libris explicatur illud est Syllo-  
 gismus ex probabilibus. §. 8.